DE NVPTIIS IN-CLYTI REGIS POLONIÆ SIGISMVN-DI AVGVSTI, ET ELISSÆ CÆSA-RIS FERDINANDI FILIÆ, CAR-men, Georgij Sabini, continens pręci-puas omnium Polonicorum Regum hiſtorias.



¶ Impreſſum Cracouiæ per Hieronymũ Vietorem Anno ſalutis noſtræ, M. D. XLIII. Menſe Iunij.

MAGNIFICO VIRO STANISLAO DZIADVSIO, PRÆFECTO CONI/nensi, & Architelonei maioris Poloniæ, Ge/orgius Sabinus S. P. D.

ETsi magna vitę est humanę, morūq; confusio: tamen vt pars aliqua generis humani, disciplina regatur: diuinitus nerui di/sciplinę hominibus traditi sunt, leges, doctrina de pręmijs, & pœ/nis: & legum, pręmiorum, ac pœnarum exempla. Et vt leges vere à deo ortas esse constat: ita sentiendum est, exemplorum memo/riā diuinitus conseruatam esse. Ac ineptum est disputare, vtra res ad excitandos, flectendos, & assuefaciendos animos sit efficacior: leges, an exempla: cum sit vna virtutis doctrina, constans vtraq; parte: quę cum summum vitę decus sit, semper curę fuit: mag/nis et sapiētib: gubernatoribus, vetera monumēta, ac res gestas ma/iorum, & inquirere, & late propagare: vt & suam ętatē erudirent et posteritatem magna illustrium exemplorum copia instruerent. Ideo primi generis humani duces, caussas maximarū in mūdo mu/tationum, exordia imperiorū, pœnas tyrannorū, et pleraq; alia, cer/tissimis monumētis posteritati tradiderūt: quę singulari dei ope ac beneficio, & cōseruata sunt inde vsq; ab initio mundi, & mansura sunt vsq; ad rerum finem. Gręca historia, quę nunc quidē extat recentior est: sed multa sunt in ea rerum vetustiorū & antea ge/starū vestigia. Etsi.n. nunc extat non aliud carmen gręcum, Ho/merico vetustius, tamē & antea fuisse monumenta vetustiora nō dubiū est. Nam & ipsę Homerus narrat Achillem, cui pręcipuā virtutē inter duces tribuit: cum ociosus in tentorio sederet, Heroū res gestas ad citharā cecinisse. Et apparet eo in admiratiōe & grā nomen Poëtarū initio fuisse, quod eorū ingenijs & arte, memoria rerum gestarū conseruabatur: vt significat Lucanus cū inquit,

O sacer & magnus vatum labor, omnia fato
Eripis: & donas populis mortalibus ęuum.

Sed multa vtilia monumēta, partim tēporis diuturnitate consum/pta perierūt, partim alijs casibus deleta sunt: cum vel in bellis euersę sunt ciuitates, vbi studia colebātur: vel propter migrationes gentiū

vetus

vetus disciplina mutata est. Callimachum poetam, qui in familia Ptolomei Philadelphi, & postea Euergetis diu vixit: cũ alia multa antiquitatis vestigia inquisita, cõscripsisse ferunt: tum etiã librũ reliquisse de vrbiũ, & gentium originibus & nominũ mutatõnibus; item de mutatis gentiũ sedibus. Credibile est aũt Callimachũ & bibliotheca Alexandrina, & multis sacerdotum monumentis adiutum esse. Hic thesaurus si extaret, omnibus historijs quantũ lucis adderet? Nunc in tanta inscitia antiquitatis, seqmur obscura rerum vestigia. Sed tamen prudentibus grata esse diligentia eorũ debet, q quantũ possunt, studiũ cõferunt ad historię cõseruationẽ. Magnopere igitur laudandi sunt vestri homines, Ioannes Dulogosius, Mechouius, & Iustus Decius, qui suorum regum seriem annotarunt: quorũ cũ res mihi viderentur magnę, varię, & dignę cognitione, cum instituissem Epithalamion scribere inclyto regi SIGISMVNDO AVgusto, visum est intexere eas huic argumento, vt carmine celebratę magis legerẽtur. Et cũ in hoc solenni pompa, precari omnes fausta regno debeant: quid auspicatius dici cogitariue potest, quã de regni primordijs, & incremẽtis? quod cũ singulari Dei ope ad hoc fastigium euectũ, & inter ferocissimas nationes defensum esse cogitabimus: pcemur vt nũc quoq; intãto vniuersę Europę discrimine, Deus opt. max. hoc domiciliũ religionis Christianę, virtutis, disciplinę, & literarũ, diutius protegat, ac tueatur. Quis nostrũ cũ vel Asię vrbes, vel Gręcę gentis respublicas veteres animo intuet, & reputat, quę ibi studia doctrinę fuerint: quantũ decus verę religionis: cumq; videt euersis vrbibus, interfectis et dissipatis indigenis, deleto Christi nomĩe, abolitis omnibus literarũ & virtutis studijs, tantũ immanẽ & spurcã barbariẽ in illis locis vagari, ignaram Dei, & vniuersę ciuilis cõsuetudinis: non deplorat interitũ laudatissimarum gentiũ: non de reliquo orbe Christiano angit? Quare & vota faciam' omnes p republica: & viri fortes sciant, sibi maiorũ exẽplo pro patria dimicandũ esse: ad qđ vos pietas erga Deum, patrię charitas, amor coniugũ, liberorũ, ac totius huius legittimi status, q̃ nũc floret Polonia, & maiorũ decora hortant: qui toties Tartaros et Turcas à Valachia, Pannonia & Polonia depulerunt. Multũ eñ natura, & disciplina vrę gentis, differt à vicinis quod ex multis rebus intelligi potest. Nam

et regnū domi legibus, & iudicijs, prçclare constitutū & ornatum est: & ad bella gerenda copijs equestribus & pedestribus, & omi apparatu, magno consilio instructū est. Descripti sunt ordines, q omnes vnius imperio parent: mores vero, disciplina domestica & ciuili, grauissime reguntur: iuuentus vel ad militiam, vel ad literas instituitur, vel agriculturā exercet, vel alijs se honestis opificijs in ciuitatibus dedit. Hos mores quoties vidi in ciuitatibus vestris, de antiquitate vestra cogitaui. Non em̄ dubiū est Polonos Henetam gētem esse, quç & in Asia vicina fuit genti omniū laudatissimç et cultissimç Ionicç, & postea duce Antenore in Europam ducta, propinquas Grçcię sedes in Illirico occupauit, ac tenet etiamnū annos ad hoc tempus post bellū Troianum circiter bis mille sex centos. Inde progressi septentrionis oram ad Istulam compleuerunt. Nec de Henetis obscura sequor indicia. Gentiū origines prçcipue ex appellationibus, & lingua iudicantur. Quos vero hodie dicunt Venetos seu Venedos: hos esse Henetos ostendunt appellatio & locus. Nam Henetos in Illyrico, vbi manet appellatio Venedorū, cōsedisse affirmat Herodotus. Deinde linguā Polonorū cōgruere cū Illyrica manifestum est, & multarū vrbium appellationes cognationē cum Polonis ostendunt: Cum autē in Asia genti Ionicç quç sine vlla dubitatione, omnibus nationibus toto orbe terrarū omni ciuili cultu antecelluit, admixti fuerint Heneti: & postea in Europa Grçcis: consentaneū est eos, & propter cœli ac regionum temperiē, & consuetudinē humanissimç gētis, & natura ad virtutē idoneos semper fuisse, ac disciplinā, & ciuilia officia intellexisse atq; coluisse. Potest aūt de naturis ingeniorum optime ex doctrinarū studijs iudicari: quorū possessionem magna cū laude tuetur Academia vestra, q̄ longo tēpore prçcipuū vniuersç Philosophię domiciliū fuit. Nunc vero postq̄ vestri homines latinā eloquentiam admirari ceperunt, adeo pure ac venuste multi apud vos scribunt, vt viri doctissimi in Italia, qui hanc verā scribendi rationem renouarunt, illorū genus dicendi maxime probent. Extant enim scripta Stanislai Hosij, Orichouij, Cromeri, & aliorū: in quibus lineamenta Tullianç dictionis cōparent. Et nuper editis tribus elegiarum libris Ianitius Poëta prçclarū sui specimen dedit. Nec vero barbarç gentes, q̄bus natura repugnat, hāc scribendi elegantiā

vel intelligere, vel assequi possunt, Sępe igitur scriptoribus illis suc- cēseo, qui nec nomen Henetum, nec linguam cōsiderantes, fingūt recens effusam esse vestram gentē, ex horrida aliqua septētrionis regione. Illud enim verius est, vos & Ionicę & Gręcę gentis vi- cinos, progressos ex Illyrico ad Carpathum, bonā Germanię par- tem quondam occupasse: repressis ad ortum & septentrionē alijs barbaris, qui hęc loca mitiora appetebant. Inde Venedicus sinus, in quem Istula influit, nominatus est. Hanc meā de gentis vestrę origine narrationē, non tanq̄ fabulosam recensui: vt Britanni se ab Hectoris filio ortos fingunt. Sed iudico verā esse: & perspicuis testimonijs confirmari posse. Clara est igit̄ antiquitas vestrę gen tis. Nam Heneti celebrantur Homeri carmine, & Herodoto mo- nimentis: Et regnum vetus in Illyrico tenuerūt, priusq̄ Romani Illyrico potiti sunt. Polibius em̄ mentionem facit Regis Agronis & reginę Teutę. Postea regnum in Polonia constitutū est, quod aliquot iam sęculis reliquę Europę tanquā murus ac propugna- culū fuit aduersus Tartarorum ac Turcarum irruptiones. Pro his honestis certaminibus vestris, gratia vobis à reliquo Christiano orbe debetur: qui vtinam tandē, & vestro & cōmuni periculo, af- fici se ostendat: & socia arma iungat. Nos quidē grata voce prę- dicare merita vestra decet. Quare libenter huic carmini gratulato rio has res intexui, quod auspicio tui nominis duxi edendum esse: cum quia sępe humanissimas significationes dedisti tuę erga me beneuolentię, pro qua vicissim hoc testimoniū mei in te studij ex- tare debet: tū propterea, quod vnus omniū de literis bonisq̄ arti- bus optime mereris. Nam ad excolenda carū studia, non solū hor- taris ingenuos adolescentes, sed etiā pręmijs inuitas, tuaq̄ liberali- tate in publicis gymnasijs foues: quo nihil potest à te fieri pręclari us. His de causis scriptum hoc qualecunq̄ in tuo nomine apparet: quod si, vt spero, tibi erit gratū, virisq̄ doctis non improbabitur: peto à te, vt inclyto Regi SISGISMVNDO AV- gusto exhibeas, meq̄ ei cōmendes, precantē ex animo & ipsi, & vniuerso regno Polonię, ac Reipub: Christianę salutarē tranqllitatē. Vale. Mē- se Aprili. Anno. M. D. XLIII. Francofordię apud Oderā.

DE NVPTIIS INCLYTII REGIS POLONIAE SIGISMVNDI AVgusti, & Elyssę Cæsaris Ferdinandi filię Georgius Sabinus.

VOs mihi quę puero Nasonis amabile carmen
Dulcia pegasei dictastis nomina fontis:
Nunc sublime mihi carmen concedite vatis,
Conceptum genuit quem Mincius Andide Nympha.
Grandibus assurgens numeris, Hymenæia dicam
Gaudia Sarmatici quibus exultantia regis
Atria, dant lætos, vbi voluitur: Istula plausus.
Si vos rite puer colui, vobisq́ dicatas
Sępe coronaui sertis halantibus aras:
Aspirate mihi, cœptisq́ fauete Camœnæ.
Forte sub vndosi muscoso gurgitis antro
Istula cæruleus tumidarum rector aquarum
Nymphis iura dabat, qua vertice Carpathus alto
Frigida Sarmatiæ prospectat iugera: cuius
Montis adusta rigent canis iuga summa pruinis.
Ipse sedens vrnamq́ manu sceptrumq́ tenebat,
Carbaseæ glauco pallę velatus amictu:
Naiades circum fontanaq́ numina stabant
Quęq́ lacus, amnesq́ colunt, vdasq́ paludes.
Venit mobilibus cœli per inania pennis
Fama volans, lętis quę vocibus attulit istuc:
Sarmatiæ claris Augustum regibus ortum,
Esse maritali connubia fœdere pactum:
Ducere Cęsarea natamq́ propagine sponsam.

Quas

Quas pater arrectis vt voces auribus hausit,
Protinus ex Nymphis formosam Callianassam,
Phillodocenq́ꝫ, Rhaninq́ꝫ vocat, Crocalenq́ꝫ, Thoenq́ꝫ:
Insignemq́ꝫ comis oculisq́ꝫ nitentibus Aeglen.
Omnes pingere acu doctas, omnesq́ꝫ peritas
Arguto tenues percurrere pectine telas.
His tum præcipiens, rarum ac memorabile munus
Inquit adornandum sponso: nunc arte magistra
Est opus ergo manu celeres incumbite Nymphæ,
Pictaq́ꝫ rebus imaginibusq́ꝫ aulæa vetustis
Texite: Sarmaticosq́ꝫ illic deducite reges:
Sponsus vt effigies, pręclaraq́ꝫ facta suorum
Inde recognoscat, validis imitetur & armis.
Talia fecisset cœtu cum verba soluto,
Haud mora: textricum scingunt ad pectora ritu
Collectas Nymphæ vestes, nudantq́ꝫ lacertos.
Post hęc expediunt longas sub tegmine telas,
Intentęq́ꝫ sedent operi, peraguntq́ꝫ laborem.
Primus falcato spectandus acynace Lęchus
Texitur argento fulgenti auroq́ꝫ choruscus. Series historiarum.
Lęchus marte satus: quo non pugnacior alter
Regna Lycaonio tenuit subiecta Bootæ.
Ille vagam syluis eduxit in oppida turbam,
Claraq́ꝫ Sarmatię tribuens cognomina genti
Læchidas, quorum gestabat sceptra, vocauit. Lęchus
Torua viro facies: apicatum more Getarum
Tegmen habet capiti: cristaq́ꝫ rubente decorum:
Barbaq́ꝫ supremo labro riget hispida: pendet
Ex humero clypeus, qualem Telamonius Aiax

Gest

Geſſit: Amazonia manus eſt armata ſecuri,
xij. Pala Indę Palatini bis ſex in ſedibus altis
tini. Auguſta grauitate ſedent, populumq́; gubernant.
Grach' Additur his priſca Romanus origine Grachus,
Diuitijs ac marte potens: qui rege ſub Anco
Pulſus in exilium, trabeati celſa Quirini
Mœnia deſeruit gelidamq́; profectus ad arcton
Condidit auſpicijs illic fœlicibus vrbem,
Quæ vetus à Gracchi ducit Craccouia nomen.
Surgit ad hanc vrbem terrena mole ſepulchrum
Vaſtum, immane, ingens quo conditus ipſe quieſcit.
Pingitur in tela ſæuiſſimus alter ab illo
Sceptra gerens Lęchus, qui ſolus vt arbiter eſſet
Lęchus Sarmatiæ, ſolus rerumq́; teneret habenas:
ij In denſis ſyluis, vbi plurima luſtra ferarum,
Heu fratrem regni conſortem cæde peremit:
Vulgatoq́; fidem patrias rumore per vrbes
Fecit ab immani diuulſum dentibus vrſo
Occubuiſſe, ſubit ſcelerato Vanda tyranno,
Vanda Quę cum mille procis, quod erat formoſa, placeret.
Innuba virgo tamen caſti ſine labe pudoris
Manſit, & ætatis ver intemerata peregit.
At non fœmineis calathis, non dedita molli
Illa fuit lanę, duris aſſueta ſed armis
Figere terribilem longis palearibus vrſum,
Frendentemq́; ſuis excire cubilibus vrſam.
Martia ſi quando fremuerunt claſſica, belli
Laudibus inſignes ęquauit & Heroinas.
Quippe Boryſteniden, debellauitq́; Gelonū.

Bina

Binaq́; magnanimo cum Teutone prælia fecit:
Corniger ardebat victricis amore puellę
Iſtula, cumq; ſuo vidiſſet in amne lauantem,
Mollibus excipiens amplexibus abſtulit illam
In vitreas ſedes, thalamiq́; in honore locauit.
Inde figurantur multi ſine nomine reges,
Quorum fama iacet tenebris ac nocte ſepulta. Stilico.
Hosq́; ſub ignotos depingitur inclytus heros,
Qui fuit Auſonię Stilico gratiſſimus vrbi.
Belligero cataphrattus equo fugientibus inſtat
Hoſtibus, ac fulgens auratis emicat armis:
Qualis ab occidua ſurgens nitet Heſperus vnda:
Et nunc victor agit Ruffini caſtra ſecutos,
Hunnosq́;, Myſosq̀;, ſagittiferosq́; Tomitas,
Prælia miſcentes & acuta falce Gelonos:
Nunc premit Afrorum cæſo Gildone cohortes,
Ingentemq́; facit conuerſa per agmina ſtragem.
Haud ſecus ac paleis vbi ſeparat area fruges,
Triturante leues boue conculcantur ariſtæ:
Sic quacunq; ruit, proſternens conterit hoſtes.
Circumfuſa iacent pallenti corpora leto
Tradita: purpureusq́; cruor diffunditur aruis.
Cæſar ob inſignes Theodoſius ergo triumphos,
Deligit hunc generum ſibi, connubioq́; Serenę
Ornat, & Aeneadis præfert ſocer omnibus vnum.
Additur armipotens iuuenis, qui dictus ab aſtu
Nomen Leſco gerit: Stiliconi ſanguine iunctus. Leſco.
Cæſareum ſed ferre iugum, faſtumq́; ſuperbę
Italię nequit, imperioq́; ſubeſſe recuſat.

Aspera martigenis hic bella Quiritibus infert:
Panoniumq́ꝫ armis iuuat auxiliaribus Hunnum
Tunc vbi Carnorum ferus occupat Attile sedes,
Teq́ꝫ dat excidio captam, pulcherrima quondam
Vrbs, Antenoreo felix Aquileia Timauo.
Primus claustra manu reserat, portasq́ꝫ refringit
Inijcit infandum victorq́ꝫ penatibus ignem.
Tristia collucent diffusis mœnia flammis:
Concussasq́ꝫ domos, impendentesq́ꝫ ruinas
Nympharum textura refert, subiungitur acer
Genserricus. Genserricus, & armorum fulgore coruscus
Pingitur, hastatos cuneos, clypeataq́ꝫ secum
Ducere bellator sub fortibus agmina signis:
Hesperias æquare solo, quas spectat ab altis
Candida subiectas Pyrene rupibus, vrbes:
Herculeumq́ꝫ citis transmittere classibus æquor,
Subdere & antiquas Tyrię Carthaginis arces.
Inde profectus iter, maris emensusq́ꝫ profundum,
Capta Quirinalis Romę dare mœnia prædę.
Lesco. ij. Hinc alacri vultu Lesconis imago secundi
Omnibus arridens, precioso intexitur ostro.
Editus obscura iuuenis qui stirpe parentum
Ardua conscendit magni fastigia regni.
Scilicet orba suo sedes vbi rege vacabat,
Et decretus erat de regno cursus equorum:
Hic meruit celeri victor suffragia cursu.
Tertius extincto succedit Lesco parenti.
Lesco. iij. Bellaq́ꝫ Teutonibus facientes adiuuat Hunos.
Post hunc villoso deducitur horridus vrsi

Tergore

Tergore Poppilius: quem turpis inertia regem
Occupat immodico baccho, somnoq́ꝫ vacantem. Poppilius.
Ipse sedens inter cyathos, mollesq́ꝫ puellas,
Acribus armorum præfert conuiuia curis.
Nominis eiusdem coniungitur ebrius illi Poppilius. ij.
Filius, ignauiq́ꝫ simillimus omnia patris.
Hunc scelerum pœnas crudeli morte luentem,
Infesti perimunt arroso corpore mures.
Tum gestanda seni traduntur sceptra Pyasto: Pyast⁹.
Qui cum iusticię vindex, & cultor honesti
Esset, ab incuruo (nam rura colebat) aratro
Pauper ad hos regni tantos ascendit honores.
Indutus crudo stat adhuc perone, geritq́ꝫ
Agricolę solito spaciosum more galerum
Inde Pyastides trahit agmina Semouitus Semouitus.
Aclidibusq́ꝫ, sparisq́ꝫ, & acutis densa sagittis:
Vandalięq́ꝫ domat populos, vrbesq́ꝫ potentes
Balticus arctoo quas alluit æquore Nereus.
Ocia quartus agit Lesco, bellumq́ꝫ perosus
Sistit, et auguste sancit data fœdera pacis. Lesco. iiij.
Nec minus extinctis amplecteris ocia bellis
Semomilae: tuo tenebrasq́ꝫ recedere nato, Semomilaus.
Excussaq́ꝫ dari visum caligine gaudes.
Editus ex vtero qui cœcus, amabile solis
Lumen, & æthereos nunq̃ conspexerat ignes:
Consulis & vates, puero quid reddita cœco
Lumina portendant: responsaq́ꝫ lætus ab illis
Accipis: insigni natum pietate futurum.
Filius vt Mesco sceptrũ suscepit auitum, Mesco.

De se vera probat dixisse, nec irrita, vates.
Primus.n. Christum profitetur, primus adorat:
Et veterum cultus abolet, ritusq; sacrorum.
Nam tum Sarmatię reges idola colentes,
Impia barbarico faciebant orgia ritu.
Buleslaus. Cæsaris ante pedes procumbit natus Othonis
Buleslaus, & imposito diademate regem,
Imperij sese gaudet sociumq; vocari.
Subijcit infracto domitos hinc marte Bohemos,
Inclusumq; iugis Morauum, gentesq; rebelles,
Quas vmbrosa vident gelidi pineta Silesi.
Te quoq; crudeli vastat Pomerania bello:
Subdita quęq; iaces algenti Prussia cœlo.
Alter at ignauo similis, similisq; puellę
Mesco. ij. Mesco figuratur: mollissima purpura corpus
Velat: Erythręis ornantur pectora gemmis:
Punicei includunt & leuia crura cothurni.
Huius molliciem, vitamq; perosus inertem
Vandalus, arma capit: capit arma Bohemus & acer
Qui colit Austriacę Morauus confinia terrę:
Excutiuntq; iugum, noluntq; subesse Polonis.
Heu pudet ignaui quantum te Sarmata regis,
Sub quo triste potens fecit respublica damnum.
Casimirus. Pellitur infelix patrijs Casimirus ab oris
Indutoq; facit monachorum vota cucullo.
Mox é cœnobio reuocatur, & arma capessit:
Persequiturq; trucem violento marte tyrannum.
A quo pulsus erat, regnoq; exutus auito.
Signa feris infert Hunnis, prædamq; secundus
Buleslaus

Buleſlaus agit domito bis victor ab Iſtro. Buleſlaus. ij.
Inqꝫ fugam turmas Morauorum vertit equeſtres:
Ingentiq́ꝫ Scythas & Alanos cæde trucidat.
Laudibus armorum nullis heroibus eſſet
Inferior: ſi non diro correptus amore
(Heu ſcelus execrandum, heu deteſtabile crimen)
Incaluiſſet equę: Tyrio quam murice cultam,
Legiferi taurum minois vt vxor: amauit.
Ac te diue niſi pia Staniſlae monentem
Sacras obtruncaſſet acynare crudus ad aras.
Ergo terrificis oculis, vultuq́ꝫ minaci,
Sacrilegum pingunt Nymphæ ſimilantq́ꝫ tyrannum
Cæde ſuas ſcelerare manus: in fruſtaq́ꝫ ſectos
Proijcere alitibus canibusq́ꝫ rapacibus artus.
Nulla ſed impietas manet impunita: tyrannus
Ecce ſolum, triſti vexatus Erynnide, vertit:
Exul & a canibus flauum laceratur ad Iſtrum.
Huic animo mitis, ſæuæq́ꝫ tyrannidis expers, Vladiſlaus.
Vladiſlae ſubis: pugnacem ſtrenuus acri
Marte Quadum, ſed iuſta coactus ad arma: fatigas
Caſſubium duris & cladibus afficis hoſtem.
Rebus in aduerſis vicino tertius Hunno Buleſlaus. iij.
Buleſlaus opem ſignis victricibus affert:
Cogit & auguſtas illinc dare terga volucres.
Nauigat inde legens arctoum claſſe profundum.
Deuictiſq́ꝫ edit naualia prælia Cymbris.
Candida pandentes concurrunt vela carinę:
Duraq́ꝫ miſſilibus fiunt certamina telis:
Armamenta natant colliſaq́ꝫ roſtra per vndas

Tranſtraq;:puniceoq; rubeſcunt ſanguine fluctus;
Læta Polonorum claſſem fortuna tuetur,
Præpetibusq; volat circum victoria pennis.
Vladi- Alter agit turmas hinc Vladiſlaus equeſtres:
ſlaus. ij. Funeſtumq; mouens proprio cum ſanguine bellum,
Sæua ſuis infert germanis arma tyrannus:
A quibus ipſe tamen (ſic arbiter impia regum
Punit facta deus) patrijs expellitur oris.
At tu quarte gerens criſtata caſſide pennas
Bulesla Buleſlae, manus cum Cęſare ſignaq; confers:
us. iiij. Cæſare, cui nomen dedit ænea barba: nec horres
Illius inuictas vires, animumq; ferocem.
Tertius iniuſtis dum vectigalibus vrbes
Meſco Meſco ſuas onerat: ſolio deiectus ab alto
iij. Luget, & amiſſos regni ſuſpirat honores.
Suſcipit eiecto Caſimirus fratre ſecundus,
Caſimi Commiſſasq; ſibi regit inculpatus habenas.
rus. ij. Abrogat iniuſtas leges, reſcindit iniqua
Quæ fecere truces olim decreta tyranni.
Liberat & cenſu populum, laxatq; tributis.
Leſco. Quintus Leſco facit diuerſo prælia caſu:
v. Nunc patruum vincit, patrui nunc vincitur armis.
At dum nudus agit, corpusq; tepentibus vndis
Abluit, infelix rigida tranſfigitur haſta:
Lucis & vſuram crudeli vulnere reddit.
Bulesla Traditur imperium poſt triſtia Buleſlao
us. v. Fata patris: magnas hoc rege Polonia clades
Accipit a trucibus Scythię prædonibus iſtis,
Furua quibus dirum fecerunt tartara nomen.

Namq;

Namq; velut septem stagnantis ab ostia Nili
Densa locustarum nubes se concitat alis:
Cultaq; deuastat plorantibus arua colonis:
Sic vagus á Tanai, Scythiæq; paludibus hostis
Irruit, effuso populatur & agmine latos
Sarmatię campos: captiuaq; corpora ducit:
Corpora nodosis loris & vincta cathenis.
Hinc tuus affectat regnum Masouia princeps,
Obsidet ac veteris Conradus mœnia Grachi
Teutones at sexti Lesconis iura tuentes, Lesco.
Obsessis pellunt infestũ mœnibus hostem. vi.
Amplaq; spectatæ virtutis præmia grato
A Lescone ferunt: is nam decernit, vt ipsam
Gracchi nemo regat, soli nisi Teutones, vrbem.
Conserit Henricus pugnam, victoq; triumphat Hēric⁹.
Hoste: sed incauto dirum bibit ore venenum,
Quo miser ante diem perit, effertur q; pheretro.
Inde Bohemorum fortissimus arma lacessit
Infestatq; ducem rex Primislaus Othonem, Primi-
Marchia progenuit quem flumine mater Hauelo. slaus.
At dum læta parat motis conuiuia signis,
Securus poto cum milite Sarmaticus rex:
Improuisus adest per opacas Marchio syluas,
Castraq; nocte subit multo sopita lyæo:
Stertentemq; capit regem, captumq; trucidat.
Venceslaus adit regnum, sceptroq; potitus Vence-
Mænalio certos compescit Pannonas arcu: slaus.
Et gerit Alberto durum cum Cæsare bellum.
Aequa sed indomitis populis dat iura duobus:

Quos

Quos & Sarmacię gelido sub sydere tellus
Hercyniocꝫ tenet præcincta Bohemia saltu.
vladisla. iij. Tertius algenti rex Vladislaus ab arcto
Educit Litauos: & Alanos: agmine quorum
Humida Marchiacę deuastat iugera terræ:
Mox & victor abit spolijs, & cæde peracta.
Casimirus. iij. Filius Augustę Casimirus pacis amator.
Suscipit extincto regalem patre coronam:
Et cum Marchiacis populis in fœdera transit.
Regnacꝫ, facta diu latronibus inuia, purgat:
Et reprimit cædes, & lægibus arma coercet:
Certacꝫ constituit dubijs fora litibus, æquus
Prætor vbi dicat Germanica iura Polonis.
Quin & turrigeris Gracchi sub mœnibus amplam
Ponit, & ipse suo de nomine nuncupat, vrbem:
Quattuor externos & eodem tempore reges.
Magnificis epulis lautissimus excipit hospes:
Pannoniæ, regemcꝫ Cypri, regemcꝫ Quiritum,
Incꝫ proceloso dominantem marmore Danum.
Ampla dat Ausonio regi quocꝫ dona: suamcꝫ
Legitimo thalami coniungit fœdere neptem.
Ludouicus. Post hunc sarmatię Ludouicus frena capescit.
Qui genus à prisco se Pæone ducere iactat:
Pæone, cæruleus regnum cui subdidit Ister.
Nec virtute tamen minus est, quam sanguine, clarus:
Magno victor agit Litauos certamine fusos.
Hic duo fœminei Ludouicus pignora sexus,
Iagello qui Corpore pręstanti castocꝫ pudore, relinquit:
E quibus, egregia Litauus de stirpe Iagello
Ipse

Ipſe ſibi iungit tedis ſolennibus vnam: — et Vladislaus iiij.
Et dotale capit nupta cum virgine regnum.
At prius abluitur cœleſtis fonte lauacri,
Proq́ꝫ Iagellonis ſibi nomine nomen adoptat
Vladiſlae tuum: namq́ꝫ impius ante nefandos
Diuorum cultus,& barbara ſacra colebat.
Ergo pia Chriſtum nunc religione profeſſus,
Præcipit excindi lucos: anguesq́ꝫ necari
Indigenę Litaui quos numinis inſtar adorant.
Erigit inſtaurans & dulcibus atria muſis
Hic,vbi flauentes celer Iſtula voluit arenas. — Academia Crcouiẽſis
Rege ſub hoc vertunt infeſtis terga polonis
Candida qui geſtant Mariani pallia fratres:
Innumeriq́ꝫ cadunt aduerſo marte perempti.
Se vidiſſe negat Thraſimenus,& Allia tantam,
Accepit infelix hic quantam Pruſſia: cladem.
Haud ſecus, ac niuibus madet humida terra ſolutis,
Dura relaxantur cum frigora tempore veris:
Sic vndante natat cæſorum ſanguine campus.
Ipſe triumphalem proſtrata per agmina currum
Lætus agit victor: ſpolijsq́ꝫ exultat opimis.
Iamq́ꝫ ſenex reddit languenti corpore vitam:
Et ſua ſceptra puer tibi Vladiſlae relinquit. — Vladislaus. v.
Egregia vero tu præditus indole mentis
Indigenas tanta populos cum laude gubernas,
Te quoq́ꝫ Danubij declaret vt accola regem.
Ergo amplis opibus, fretusq́ꝫ potentibus armis:
Ipſe tuis annis maioraq́ꝫ viribus audes.
Ingreſſus Macedum numeroſo milite fines,
Ponis in Orphæi tentoria ſaltibus Aemi.

C Non

Non te nubiferę rupes, non sæua retardant
Frigora, quæq; cadunt altis de montibus amnes:
Donec Amurathes ad Varnam Turca paludem
Te cohibens tandem victricibus exuit armis.
Bis tamen impulsos, cogis dare terga, bis hostes
Disijcis: ante tuo vitam quam sanguine fundis.
Heu miserande puer: te clara Borysthene tellus,
Te cum Danubio pater Istula luget ademptum:
Limosoq; gemunt Varnę sub gurgitę Nymphæ.
Post ducis interitum, funestaq; prælia, tradit
Casimirus. iiij. Regia Sarmaciæ Casimiro sceptra senatus,
Hic vero nemorum studiosus, tempora quercu
Cincta gerit, latoq; tenens venabula ferro,
Aut venator agit pauidos in retia ceruos,
Setigeros aut figit apros: comitantur euntem
Rhiphæiq; canes, armillatiq; Molossi.
Nec tamen armorum præfert venatibus artes:
Occupat ereptas Marianis fratribus vrbes.
Tu subis inde patri, magnumq; sub arma coactum
Ioãnes. Albert9 Ducis, Ioannes Alberte binominis, agmen.
Vlturusq; necem patrui, quem Varna peremptum
Abstulit: instauras in sæuos prelia Turcas.
Et iam signa moues, iam barbara vertere cogis
Terga, sagittifero Dacos & Iasygas arcu:
Cum grauis affligit te morbus & eximit æuo,
Ne præsentis agas suscepta negocia belli.
Tristia lugubres faciunt tibi funera musæ:
Nam tu Callimachum, genuit quem Tuscia, vatem
Dulcia Pieridum tangentem plectra fouebas.
Alexander. Edit Alexander varijs sceptacula ludis:

Gymnica

Gymnica nunc leuibus certamina ponit ephœbis,
Corporis exercent agili qui membra palęstra.
Nunc pugnę simulachra ciet sub equestribus armis,
Gaudet & in circo concurrere grandibus hastis.
At non hostili sine sanguine ludicra semper,
Seria sed miscet duri quoqꝫ pręlia martis.
Fortibus vlciscens armis periuria Mosci,
Proxima nimboso Borcę loca cędibus implet:
Terrarumqꝫ vagos Scythica de gente latrones
Rhiphæos vltra montes, Tanainqꝫ, repellit.
Hinc ætate grauis dat regia iura Polono,
Cana Sigismundus diademate tempora cinctus: Sigismūdus.
Moscorumqꝫ ducem, qua flaua Borysthenis errat
Vnda, rebellantem memoranda clade coercet.
Victor Hyperboreę compescit & agmina gentis,
Taurica quam tellus pharetratę culta Dianę
Educat, humanę gaudentem sanguine cædis.
Nec minus à patrio digressum limite Dacum
Arcet, & edentem crudelia funera, sternit
Hic, vbi spumoso per inhospita saxa volutus
Labitur amne Tyras, dirimensqꝫ rapacibus vndis
Sarmatię fines Dacorum separat oris.
Quin parere sibi veteresqꝫ subesse Borussos
Cogit, odora legunt qui succina nata profundo.
Inqꝫ suam redigit ditionem, quicquid habebat
Inclyta nobilitas Germani sanguinis illic:
Ecce autem tristem defuncta coniuge luctum
Percipit, Hunnorum veteri quam sanguine cretam Barbara.
Carphatis ediderat prope fontem Nympha Tybisci.
Iamqꝫ suæ postq̄ consorti iusta peregit,

Vritur igne nouo: fixusq́ꝫ cupidinis arcu,
Bona. Dulcia Sphortiados connubia virginis ambit:
Inter Iapygias qua pulchrior altera Nymphas
Non fugit, aut animo præstantior: esse fatetur
Hanc sibi consilio Iouis edita vertice Pallas,
Ore Venus, grauitate parem saturnia Iuno.
Ducitur in thalamum regali nupta paratu:
Qualiter Aemonio Nereia sponsa marito
Est adducta Thetis: nuribus comitata latinis
Turba puellarum sequitur, quas Daunia tellus
Priscaq́ꝫ miserunt longinqui mœnia Barri:
Ornatæ auratis incedunt vestibus omnes.
Sigismūdus Augustus. Paruus ad extremum puer his intexitur actis,
Sceptra Sigismundus regni gesturus auiti:
Qui teneras inter forma præstante sorores,
Candida circumdans materno brachia collo,
Ludit, & Augusti cognominis omine gaudet.
Idem florentes iam puber vt induit annos,
Excipit amplexu consortem sponsus Elyssam:
Elyssa. Cæsareos quę monstrat auos, ducitq́ꝫ paternum
Regibus orta genus, quos ditibus Austria terris
Edidit, ac rerum dominos Germania fecit.
Astat vinctus hymen sertis: amor astat honestus:
Blandaq́ꝫ formosam comitatur gratia nuptam.
Sarmatiæ cunctos huc vsq́ꝫ ab origine prima
Finis historiarū Finxerunt Nymphæ reges, operiq́ꝫ supremam
Imposuere manum: pars cingitur vltima telæ
Nexilibus folijs hederæ, atq́ꝫ virentis Acanthi.
Ergo Nympharum labor ac solertia postquam
Hoc vetus aulæis intexuit argumentum:

Illicet vndanti pater Iſtula ſurgit ab antro,
Altaq́ꝫ Carpatheis ſub rupibus atria linquit:
Illuc dona ferens, turrita vbi mœnia ſurgunt,
Romulides quorum poſuit fundamina Gracchus,
Denſis progreditur cannis, & fronde ſaligna
Cinctus: & attollit roranti cornua vultu.
Naribus vnda fluit, madidis fluit vnda capillis:
Hærentemq́ꝫ rigant vligine flumina barbam:
Humida cæluleo velamine membra teguntur,
Cuius nexa ſonant picto conchylia limbo.
Proſequitur totus Nympharum cœtus euntem,
Quaqꝫ pedes, vdoq́ꝫ mouet veſtigia greſſu,
Naiades ſpargunt flores, ac ſerta Napeę.
Iamqꝫ propinquabat regali ſpumifer vrbi,
Cum procul impulſo reſonare frementia cœlo
Tympanaq́ꝫ, raucisq́ꝫ tubas clangoribus audit:
Ac videt inſignes illinc fulgentibus armis
Teutonas, hinc patrio clypeatos more Polonos
Comminus accelerare, & equeſtres pandere turmas.
Conſiſtit viridi decliuis margine ripæ,
Veſtigatq́ꝫ oculis inter tot millia ſponſum:
Quem ſonipes gemmis & multo ſplendidus auro
In medijs portat turmis, aurata ſequentem
Eſſeda, nupta quibus ſedet, inuehiturq́ꝫ per agmen.
Talibus inde ſuum compellans Iſtula verbis
Affatur regem: ſpomſamq́ꝫ ſalutat Elyſſam.
Salue virginei decus inclyta Nympha pudoris, Oratio
Sarmatici conſors, Romani filia regis: Iſtulę ad
Hasq́ꝫ, meo late quas irrigo flumine terras, ſpōſā et
Ingredere auſpicio fauſto: di læta cubiles Regem.

Gaudia, fortunentq́ꝫ auæ connubia tedę.
Tu (si vera mihi nec retulit irrita quondam,
Nosse futura senex qui creditur omnia Proteus)
Tu dabis heroum claros paritura nepotes,
Qui superent fama proauos: qui fortibus ausis
Ardua Sarmatię tollant ad sydera nomen:
Victa triumphantes validis quos sentiet armis
Turcia: quosqꝫ tremens horrescet Caucasus: ergo
Tanta tuus cunctis aduentus gaudia rebus,
Vt montana fremant lętis iuga plausibus: affert.
Vocibus alituum resonat mea ripa canoris.
Inflatisq́ꝫ leues Satyri modulantur auenis
Carmina: nosq́ꝫ tibi gratamur ouantibus vndis.
Tu quoqꝫ rex animi præstans, qui clara parentis
Aeneadæq́ꝫ refers Augusti nomina: salue.
At miranda tibi Nympharum munera sponso
Ecce fero, regum intextis ornata figuris.
Munera, quę precio gemmas, quę nobile vincunt
Lydia quod gignit, quod Pannona terra metallum:
Qualiter Aeneę clypeus monumenta Quiritum,
Hæc ita maiorum referunt monumenta tuorum,
Hinc imitanda petas exempla domestica vitę:
Te seu lęta quies pacis, seu bella manebunt.
Scipio si statuas quando spectabat auorum
Incensus magno virtutis amore flagrabat:
Quos tibi virtutis stimulos, illustria regum
Hęc simulachra, istis effícta tapetibus: addent.
Aspice Mesconem, pugnaces aspice Lechos,
Quos toga, quos acris commendat gloria martis.
Hos propone tibi morum, viteq́ꝫ magistros:

Hos

Hos contende duces longo precedere cursu
Laudis. at inprimis reges de stirpe Iagella,
Atq; Sigismundum factis imitare parentem.
Nulla quidem virtus est principe dignior, ardens
Quam pietatis amor: quocirca ante omnia curam
Religionis agas, & propagare memento
Hunc, sacra quo gaudet Christi respublica, cultum.
Iura deinde tuis sapienter vt equa ministres
Ciuibus: officium poscit munusq; regendi.
Namq; deus celsa reges in sede locauit,
Ac tantis opibus, tantis & honoribus ipsos,
Auxit: iusticiæ quo sint legumq; ministri,
Attenti & caueant, ne turpi cedat honestum:
Neue relaxentur scelerato frena furori.
Clemens esse bonis debes, & sontibus atrox:
Aequat. n. superis animi clementia reges.
Ardua magnarum si quando negocia rerum
Sunt tractanda, viris prudentibus vtere: ne quid
Inconsultus agas, nec te dulcedine captum
Fallat, & illecebris ad inertem blanda voluptas
Desidiam, mollis traducat & ocia vitæ.
Acres namq; tibi populos fortuna regendos
Commisit, cœlo quos frigida despicit arctos:
Duratosq; gelu quos martius excitat ardor.
Non ignaua ferunt hi desidis ocia regis.
Adde quod effrenis es gentibus vndiq; septus:
Hinc Scythie Nomades tibi bella minantur, & illinc
Hostis ab infesto Mahometicus imminet Istro:
Sæuaq; molitur violentus prælia Moscus.
Ipse tot indomitis populis es preda futurus,

Si tua

Si tua torpuerint ignauo pectora luxu.
Strenuus ergo geras animum curamq́ꝫ virilem:
Nilq́ꝫ prius virtute putes: hęc regna tuetur.
Turpis auaritię quoq́ꝫ detestabile crimen
Effuge: nullus enim reges non odit auaros.
Nec tamen in cunctos effundas prodigus aurum:
Debita munificus virtuti pręmia confer.
His da largus opes, qui martia signa secuti
Ob patriam duris adiere pericula bellis.
Quiq́ꝫ nouem claris Musarum dotibus aucti,
Ingenio pręstant alijs linguaq́ꝫ diserta.
Nam largis opibus debent á rege foueri,
Quę sacra virtutis seruant cunabula Musę.
Plura monendus eras: volucrum sed mater amorum,
Teq́ꝫ sacras expectat Hymen ducturus ad aras.
Ergo detineam ne te, remorerq́ꝫ loquendo:
Hęc agedum lęto nunc accipe munera vultu:
Sic tibi, consortiq́ꝫ tuę, felicibus adsit
Tędifer auspicijs, cui sunt connubia curę,
Sic vos alma suo genitrix Aeneia cesto,
Iungat & ęternis concordia nexibus ambos.
Hęc pater oblato cum munere verba dedisset
Istula, conticuit: caput occuluitq́ꝫ sub vndis.
Rex accepta ferens Nympharum munera secum.
Inde recedebat ductis ad mœnia turmis.
Omnis at ore fremens populus, plausuq́ꝫ per vrbem
Hymen ó hymenęe hymen hymenęe sonabat.

Crac. Hieron. Viet.